

No. 663. 1380. 10. Juni.

*B. Nicolaus einigt sich in dem Streite wegen des Besitzes der Renten der Dörfer Cossebaude und Wartha mit dem Capitel dahin, dass er für seine Lebenszeit dieselben zu behalten berechtigt, dem Capitel aber 20 Schock, dem Weihbischof Franko für dessen Lebenszeit 10 Schock Groschen jährlich zu gewähren verpflichtet ist.*

Universis et singulis praesentibus et futuris, quos huius negotii qualitas respicit aut respicere poterit, aut quorum interest vel interesse poterit in futurum Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis salutem in salvatore omnium etc. Cum inter nos parte ex una, et inter venerabiles viros in Christo nobis dilectos, Nicolaum decanum ac totum capitulum ecclesiae nostrae Misnensis parte ex altera, super allodiis praediis ac curiis et bonis in Kossebode et Wartha, nec non redditibus agris vineis silvis ac omnibus et singulis attinentiis eorundem fuisset dissensionis materia non modica suscitata, nobis eadem bona omnia et singula tenentibus et asserentibus ipsa ad mensam nostram episcopalem pertinere, ipsis vero . . decano et capitulo Misnensi ex adverso valde affirmantibus, praedicta bona omnia et singula ad obedientias suas ac praebendas seu cottidianas amministrationes attinere, et se fore eisdem bonis per reverendum in Christo patrem ac dominum, dominum Johannem nunc archiepiscopum Pragensem, antecessorem nostrum iniuste et indebite spoliatos, tandem multis et variis tractatibus inter nos habitis pro commodo pacis et unionis conservandae per modum subscriptum fuimus amicabiliter concordati, videlicet quod nos Nicolaus episcopus — praedicta allodia curias praedia et bona in Kossebode et in Wartha cum omnibus redditibus agris vineis silvis ac singulis pertinentiis suis debemus retinere et possidere libere pacifice et quiete quoad vixerimus, nisi forsan contingeret nos voluntarie renunciare ecclesiae nostrae Misnensi vel alias intuitu uberioris commodi per modum permutationis, vel benivolae dimissionis assignare praedicta bona in Kossebode et in Wartha dominis . . decano et capitulo ecclesiae nostrae Misnensis supradictis. Debemus tamen de supradictis allodiis et bonis et eorum attinentiis singulis annis, quamdiu ipsa tenuerimus et possiderimus, praefatis dominis — solvere nomine pensionis et dare in omnem eventum de camera nostra viginti sexagenas grossorum Misnensium in festo sancti Michahelis, de quibus — ipsi — debent satisfacere suis concanonicis, vicariis et aliis quibuscunque, qui sibi credunt competere ius percipiendi obedientias praebendas seu redditus aut cottidianas amministrationes aut alia quaecunque emolimenta de bonis superius nominatis. Postquam vero nos de hac vita migraverimus vel fortassis libere et voluntarie ecclesiae nostrae Misnensi renunciaverimus aut praedicta bona benivole dimiserimus, ex tunc praefata allodia curiae praedia et bona in Kossebode et in Wartha cum omnibus redditibus agris vineis silvis ac singulis pertinentiis suis transire ac redire debent ad dominos — sepepredictos, qui ex tunc eadem bona retinere et possidere debent eo iure ac firmitate, quo et qua pridem iidem — ipsa tenuerant et possederant, dum adhuc bonae recordationis quondam dominus Johannes de Draynicz canonicus Misnensis ac